



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 9. Codri pauperis historia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

Calcandumq; docent, quod subdunt gressibus aurum,

De quo terrena veniunt ad pectora cura.

Quamquam etiam ea re demonstrarunt, se non tam gratiam facere, quam recipere ab Apostolis. *Maioris ducebant, ait Chrysostomus, quod ab eis reciperentur, quam quod darentur dona. Hoc enim est potissimum contemnere opes, hoc est, pascere esurientem Christum, absq; arrogantia & fastu id facias: sicq; des, quam tibi ipsi plura, quam danti beneficia dare videris. Das enim terram, recipis caelum, Codrus ad breue tempus, Croesus aeternum futurus; immo Croeso incomparabiliter beatior. Finem enim aequè habuit Croesi felicitas, ac Codri calamitas.*

§. IX.

Codri pauperis historia.

Notissimum enim est, quid de Croeso, in historijs memoretur, sed quia opulentos valde erudit, hinc mihi ex Herodoto recensendum est, vbi prius paucis de Codro narrauero, quantam ille, desertis opibus, & abiecta regia purpura, Atheniensibus victoriam, sibi autem gloriam sit consecutus. *Erant inter Athenienses & Dorienses simultatem habentibus veteres offensa, quas vindicaturi bello*

*Iustin.
lib. 2.*

bello Dorienses, de euentu praelij oracula consu-
luerunt: Responsum, superiores fore, si regem A-
theniensium occidissent. Cùm ventum esset in
bellum, militibus ante omnia custodia regis pra-
cipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus
erat; qui & responso Dei, & praeceptis hostium,
cognitis, permutato regis habitu, pannosus, sar-
menta collo gerens, castra hostium ingreditur:
ibi in turba obsistentiũ, à milite, quem falce astu
conuulnerauerat, interficitur. Cognito regis cor-
pore, Dorienses sine praelio discedunt. Atq; ita A-
thenienses virtute ducis, pro salute patria mor-
ti se offerentis, bello liberantur. Post Codrum
nemo Athenis regnavit: quod memoria nominis
eius tributum est. Quare rex iste, è diuite
pauper, & sibi immortale decus peperit,
& patriæ suæ incolumitatem. Aptè hoc fa-
ctum Christo pauperi, & crucem, velut sar-
menta collo gerenti, ac pro salute humana
morti se se offerenti accommodatur: sed e-
tiam appositè comparatur ijs, qui sub sche-
mate paupertatis multa patiuntur, atque ita
multis alijs prosunt, oratione, patientia,
exemplo, merito; sibi verò gloriam pariunt
sempiternam.

§. X.

Solonis de Cræsi diuitijs ac felicitate iudicium.

Cræsus autē diuerso tramite ad exitium suum tetendit, luculenta sanè tragœdia ostendens, quàm non solum illi Solon, sed etiam nobis S. Paulus sapienter consuluerit, cum scriberet: *Diuitibus huius seculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, faciliè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Ita igitur Herodotus loquitur de Solone, qui peregrè profectus in Ægyptum ad Hamasim se contulit, & Sardis ad Cræsum. Eò cum peruenisset, hospitaliter à Cræso exceptus est, tertioq; aut quarto quàm venerat die, iussu Cræsi, ministri circumduxerunt hominem circa thesauros: omniaq; quæ illic inerant magna atque beata, ostentarunt. Contemplatum eum cuncta, & ut sibi opportunum erat, intuitum, talibus percontatus est Cræsus: *Hospes Atheniensis, quia multus ad nos rumor de te emanauit, ob tuam sapientiam tuamq; discursationem, qui philosophando permulta videndi gratia ex pere-*

grinatus

1. Tim. 6.
17.

Herodot.
Halicarn.
lib. 1.